



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

4 Excommunicatio sine monitione lata est iniusta, sed valida, nisi in casibus a iure expressis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

- 66 Episcopus in aliena diocesi sine licentia corporalia benedicens suspenfus est.
- 67 Irregularis non est Diaconus, qui presente, & annuente parochio puerum baptizat.
- 68 Irregularis est, ad sacerdotum ante etatem promotus.
- 69 Excommunicatus, & interdicitur ministrans, duas irregularitates incurrit, quarum una sine altera tolli potest.
- 70 Femina ex Papa privilegio excommunicare potest.
- 71 Excommunicationem non incurrit, qui legendo charitatem, iratus clericum, qui eam legere volebat, tangendo repellit.
- 72 Cartilagine auris carens, quomodo irregularis sit.
- 73 Excommunicatio absolute in capitulum lata, non valet, sed suspensio sic.
- 74 Gratia reuolutio per sordes promissas obtenta, qualiter faciendā.
- 75 Donans Cardinali aliquid, ut eueniente vacantia suo, & aliorum voto suffragetur tertio, est Simoniacus.
- 76 Extraneus Greg. XIII. lata contra extraneos graui, qualiter intelligenda.
- 77 Suspensi, & interditi simpliciter, non sunt prohibiti predicare.

DECISIO VI.

Ex conf. 6. [alias] 49.  
11. 48.

**E**Xcommunicatus ab homine nominatim, per Bullam Cruciatæ confessario, non præmissa partis satisfactio, absolui nequit, & absolutio aliter facta non valet, & celebrando, irregularitatem incurrit.

DECISIO VII.

**E**Xcommunicatus specialiter ab homine non nisi ab excommunicante, vel successore, vel superiore eius absolui potest, sed neque id illi facere possunt, nisi satisfacta, vel consentiente parte aduersa.

DECISIO VIII.

Ex conf. 7. alias 34.

**S**I alter ex colligantibus super beneficio possideat, & alter sciat, vel probabiliter credat eum non habere ius, non reddendo, nec reuelando fructus ad illud beneficium pertinentes etiam si ad iustitiam possessoris publicari sciat literas monitorias, ut sub pena excommunicationis latæ sententia reddat, vel reuelet quicumque tenet, vel scit res ad illud beneficium pertinentes intra certum terminum, excommunicationem non incurrit: quia nemo ob literas eiusmodi monitorias reuelare tenetur, quæ iuste credit esse sua, vel ad se, vel ad alterum pertinere, & non ad eum, ad cuius instantiam literæ illæ datæ sunt; Non enim fructus beneficii ei debentur qui canonico titulo caret, & ius non habet, & ideo neque qui eos tenet, illi reddere, neque qui illos ab alio teneri nouit, ei reuelare tenetur; scus autem si dubitet, vel leuiter credat, an sibi, vel alteri colliganti ius esset, tunc enim non reddendo, vel non reuelando in excommunicationem incidit, cum in dubio credendum sit beneficii fructus ad possessorem bonæ fidei pertinere. Arg. l. illud. ff. de petit. her.

DECISIO IX.

Ex conf. 8. alias 40.

**E**Xtraneus Gregor. XIII. inci. Ab ipso Pont. edi. Ann. 1574. quæ obligat ad denunciandum eos, qui sciunt aliquem esse in culpa transgressionis illius eo quod promiserit, dederit, vel acceperit pecuniam, vel aliquid aliud pro gratia obtinenda; quamuis ex vi verborum ad denunciandum complices extendi videatur, ex mente tamen legislatoris ad solum principalem transgressorem denunciandum, vel ad summum ad solos illos, qui principales actores in dando, vel accipiendo fuerunt, extenditur; quoad alios vero complices denunciandos non est recepta. ex Nauar. in Man. c. 23. num. 62.

DECISIO X.

Ex conf. 9. alias 5.

**E**Xcommunicatio a delegato lata, qui copiam commissionis suæ petenti dare non vult, non solum iniusta, sed etiam nulla censenda est. ex Innocent. in cap. venerabilis, num. 5. de censib.

DECISIO XI.

Ex conf. 10. alias 3.

**I**udex debitorem monens ut sub pena excommunicationis soluat, si illo non solvente, nec comparente, nec allegante cur soluere non debeat, idem iudex declaratoriam decerni iubeat, quæ excommunicatus declaratur, nullo alio modo sententia excommunicationis lata, talis debitor se excommunicatum non esse iuste credere potest cum neque primum monitorium excommunicationem contineat, sed eius comminationem, ita Gloss. in c. 1. de sagitar. neque mandatum declaratorium, quia declaratoria excommunicationis eam non continet, sed quod factum est, declarat. l. Here des. palam, §. 1. ff. de test. & ante declaratoria cum excommunicatum non fuisse constat.

D E.

DECISIO I.

Ex conf. 1. alias 51.

**E**Xcommunicari à solo Notario, etiam ecclesiastico, quamuis ex pacto procedat, ad dicta clausula, ut nisi contenta intra diem constitutum adimpleat, excommunicationem latæ sententiæ incurrat; nemo potest, siue clericus, siue laicus fuerit; Quando quidem excommunicatio in aliquem sine iurisdictione ecclesiastica ferri nequit. c. L. & G. de offic. deleg. Notarius autem etiam Ecclesiasticus, quatenus est talis, nec iudex est, nec vllam iurisdictionem habet, & ideo nec absolute, nec sub conditione, si vsque ad talem diem non soluerit, debitorem excommunicare potest.

DECISIO II.

Ex conf. 2. alias 11. de cler. excomm. ministr.

**C**elebrans in altari interdito, sicut si in ecclesia interdita celebraret, irregularis efficitur; cum celebrans in loco interdito, irregularis sit; c. Is qui. de sent. excomm. in 6. altare autem est locus, immo locus, ubi celebratur.

DECISIO III.

Ex conf. 3. alias 2.

**M**onitus sub pena excommunicationis latæ sententiæ, contra monitionem peccans, excommunicatus est, non tamen ab aliquo, donec per suum iudicem competentem citatus, & auditus denunciatur esse excommunicatus, euitandus est. Extr. Ad euitanda. Martini V. & Nau. in Man. c. 27. num. 35.

DECISIO IV.

Ex conf. 4. in vtrisque.

**Q**uamuis excommunicatio maior pro culpa preterita sine monitione ferenda non sit, ex Nau. in Man. c. 27. nu. 2. 9. & 11. & habetur c. omnes. 16. q. 7. & c. Sacro. de sent. excomm. & Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de ref. & sine monitione lata, iniusta sit, valida tamen est nisi in casibus a iure expressis; c. si episcopus 11. q. 3. & c. Sacro. & ibi gloss. de sent. excomm. & sic excommunicatus absolutione regulariter indiget, & ante absolutionem celebrans, irregularis efficitur.

DECISIO V.

Ex conf. 5. alias 52.

**E**Xcommunicatio in solos Christianos baptizatos, mortales, & superiores habentes ferri potest, cap. omnis Christianus. 11. q. 3. & Nau. in Man. c. 27. num. 13.